



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

SS. Irenæus & Abundus MM. 26. Augusti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

26. Aug. VITÆ SANCTORVM. 419  
XXII. Pont. Max. ut par est, reveretor. XXIII. Impensæ modestiam ne excedunto. XXIV. Pro me, ubi obiero, sacra fieri curato. *Ex Surio.*

*Amat Deus disciplinam; perversa autem & falsa innocentia est, laxare habenas peccatis. Valdè perniciosè sentit filius patris lenitatem, ut justè postea sentiat Dei severitatem, & hoc non solus, sed cum dissoluto patre suo. S. Augustinus sup. Ps. 30.*

SS. IRENÆUS & ABUNDIUS MM.

26. Augusti.

Quid auro te vestis homo, si nobiles animas etiam in cœno latentes Numen amat? quid opobalsama spiras, quando etiam inter latrinas (parce, si Superis parcis, & mihi) suavè tamen olet virtus? Age & qui nares sordidis rebus, ne aures nominibus nega: docebunt te hæc alta negligi à cælo, infima eligi. Erat IRENÆVS conditione vitæ homo omnium ultimus Romæ (in cloacas fortunæ munus detruferat) in tantis sordibus tamen candidissimum animum eumque Christianum circumtulit. Fortè D. Concordiæ corpus exanime, heu! non digno sepulchro, cloacâ tumulatur. Quærit hoc pietas Christiana, quærit & impietas Porphyrii militis; illa virtutis odore, hæc avaritiæ illecta, & nummos in vestibus & gemmas subodorata. Atque hæc sua consilia Porphyrius IRENÆO detegit. Itur, eruitur Concordia nullâ spurcitie aspersa. Sed aurum & gemmam Porphyrius excæcatus ab avaritiâ nullam videt. At hoc abeunte, IRENÆO merum aurum & una gemma totum corpus martyris visum. Igitur ABUNDIVM in auxilium vocat, & ad Justinum Presb. thesaurum fert; ille terrâ abscondit. Sed & merces sua IRENÆO &

ABVNDIO constitit. Vivi enim in cloacam demersi à Valeriano animas pulcherrimâ tamen morte posuerunt. Itaque etiam sanctior ludit fortuna, quando non jam ab aratro sed è cloacâ ad purpuram & ad Martyrum purpuram vocat. *Ex actis D. Laurentii.*

*Quantò quis altiùs se per tumorem mentis erigit, tantò magis in imo despicabiliùs jacet. E' contrario è honorabiliùs humilis coram Deo provehitur ad summa, quò per vilem sui estimationem se vilipendendo magis collocat in profundo. S. Laur. Just. de Humil.*

SS. AURELIUS & NATALIA MM.

27. Augusti.

**O** *Quàm pulchra est casta generatio ! quæ tantum splendorem etiam thalamo conciliat. Audi orbis, & , si vides , hunc juxta mecum vide. Sustulerat jam AVRELIUS è conjuge NATALIA geminam prolem ; abhinc ergo castitati placuit, non liberis vacare. Sed & cælo hoc cum primis placuit , cujus oculos nulla alia tam facillè virtus, ut castitas rapit. Certè ocellus cæli Christus inter Angelorum comitatus visus descendere , & hic quidem benedicere cubantibus , illi tapete candido etiam pavementũ , quod tam pudici pedes premebant, vestire. Virginum etiam Regina ad spectaculum Superis tam jucundum delapsa cælo, solati in non viduo lecto viduos conjuges voluit. O Superi ! quæ ego somnia tam castè dormientiũ fuisse putem , ubi lectum VIRGO MATER & VIRGO FILIUS sternere veluti non dubitavit ? quàm molli-ter credam cubuisse, cum suas Angeli plumas cælo afferrent ? Et audi quàm suavibus somniis cælum demulserit castos. Cum autem in pauperes &*

*mar-*